PRÆFATIO.

Vivimus in societate humanâ non nobis solum sed præcipuam sibi partem patria vindicat; Stimulos ingenuæ menti provida parens natura indidit, ut patriæ saluti promovendæ quovis modo incumbamus, non quidem omnibus æqualis suppeditatur ansa, quâ debitum hoc, quo patriæ sumus adstricti, exsolvere queant, veruntamen non exspectanda semper, sed & quærenda occasio est, quâ paratum ad obsequia animum contestemur; hac contemplatione excitatus præsens academicæ exercitationis Thema seligere & in substratâ, potius quam peregrinâ quadam materiâ desudare ingeniique vires periclitari volui, quoniam hujus discussionem Patriæ Fuldensi (quæ, licet natales ipsi non debeam, Matris tamen vel nutricis instar mihi semper deveneranda erit) non inutilem fore Judicavi; post Homerum quidem Iliada scripsisse videbor, cum non solum Consumatissimi JCti ad hos Titulos passim commentati, sed & omnia hic tum ex Jure communi, tum patrio seu statutario adducta, iis, qui in foro & dicasteriis fuldensibus postulando versantur, ex quotidiano usu abunde cognita sint; Veruntamen dum hæc saltem in gratiam Advocaturæ & Procuraturæ Candidatorum, ad ideam sibi pro futuris functionibus formandam, minime vero in eruditionem eorum, quos praxis ac continuum exercitium Magistros in arte creavit, elaborare atque colligere intendo, non inanem penitùs, sed gratam ad hoc officium aspirantibus operam me collocaturum confido; Quodsi Thematis suscepti elucubrationem minus accurate assecutus, aut ex imbecillitate ingenii hinc inde lapsus fuero, veniæ, & publicæ gratiæ fiducia me erigit, non enim pudet cum imperatore Justiniano in *L. 2. §. 14. Cod. de Vet. Jur. enucl.* candide fateri: *quod omnium habere memoriam, & in nullo penitus peccare, divinitatis magis sit, quam mortalitatis;* Tu interim B. L. omnia in benigniorem partem interpretare, vale & conatibus fave.

§. 1.